

Jonas Conrad Schramm


Cvm Ex Academia Jvliæ Solenni Cvm Applavsv Discederet Reverendissimvs Et Illvstrissimvs Dominvs Dominvs Franciscvs Lvdoovicvs S. R. I. Comes De Oettingen Dissertatione De Prophetis Posterioribvs Vt Et De Principibvs Et Comitibvs Qvi Inde Ab Initio Academiæ Jvliæ Nomen Dedervnt Abitvm Hvnc Piis Votis Proseqvitvr

Helmstadii: Litteris Joh. Drimborn, MDCCXXXIV

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn87162608X>

Druck Freier  Zugang





48

49. els.

Fa-1092 (48.)


1. Joach. Justus Kau de certitudine interpretationis sacrarum literarum. Region 1737.
2. Jon. Con. Schramm de Verborum Bibliorum verborum Helmsf. 1735.
3. Christi. Bernh. Trücher Observationes critico-philologicae in Gen. 1.
4. Sam. Asteri de Eva ex Adam costae aedificatione ad Gen. 11. 22. 1. Witteb. 1716.
5. Jo. Fronmiat de Cherubim et gladio flammeo. ad Gen. 111.
6. Jo. Daath Seraholous de protuevangelio Paradiseo ad Gen. 1111. 15. Oct. 1732. Götting. 1737.
7. Jo. Friedrici Cotta observationes ad Gen. 11. 22. Götting. 1737.
8. Christo. Wegleiter de serpente seductore ad Gen. 11. 1. 2. 14. Oct. 1697.
9. Franc. Gabricius de impositione nominis Sethi ad Gen. 11. 25. Lugd. Bat. 1712.
10. Jo. Guil. Hagerus de odore vestium Isaac ad Gen. XXII.
11. Jo. Christian Alumius de Messia in visione Jacobi adumbato ad Gen. XXII. 12. Joh. 1. 51. Helmsf. 1720.
12. Jo. Friedr. Hagerus de admirabili Jacobo cum duobus sororibus coniugis ad Gen. XXII. Lips. 1677.
13. Friedr. Christi Geffer de iuramento Josephi per vitam Pharaonis ad Gen. XXII. 15. 16. Region 1731.
14. Jo. Brickmuth prodromus de vaticiniis Jacobaeo Gen. XXII. 8. 9. 10. 11. Jen. 1651.
15. Jon. Con. Schramm de hisopis paschali ad Exod. XII. 22. Pf. Lig. Joh. XXII. 29. Helmsf. 1735.


16. Jo. Seb. Denzau de judaeorum veterum factionibus et religio-
nis ad Lev. XI. 20. xxxii. 6. 19. Lips. 1738.
17. Jo. Geo. Michaelis de duabus auctoritatibus purgationi
sive eorumque mysterio ad Levit. XIV. 1-8 Hal. 1737.
18. Jo. Christo. Wichmannshausen de corpore feisuffis et figuris non
evacuatis ad Levit. xxx. 28. Witeb. 1718.
19. Jo. Geo. Abichtus de seniorum Hebraeorum acquisitione
et officio servitio ad Levit. xxx. 29. Exod. xxxii.
3. 1799. Math. III. 11. Joh. XIII. 4. Lips. 1702.
20. Petr. Zornius de manipulo primitiarum ex messe hordei
ad Levit. xxiii. 16. 1 Cor. xv. 20. Col. 1. 17. Sed. 1700.
21. Christ. Kortholtus de Virga Aaronis florida ad
Num. xvii. Kil. 1672.
22. Jo. Maier de virga Aaronis florida ad Num. xvii.
o. Witeb. 1680.
23. Abrah. Calovius de conversione Judaeorum ad Deut. xv.
30. Hof. xiii. 4. 5. Thron. xi. 25. Apocalyp. xix.
6-10. Witeb. 1679. reusf. 1701.
24. Jo. Wich. Hilleggerus de vestibus etibus Israelitarum in de-
sero ad Deut. xvi. 4. xxix. 5. Neh. ix. 25. Witeb. 1676.
25. Christo. Schöneich de verbis Moysi Deuter. xxix. 29. Reg.
1721.
26. Jo. Geo. Abichtus de cubitis fascis ad Jos. v. 2. Lips. 1712.
27. Em. Tricar. Cobius de Sarcota ad Jos. xix. 29. Witeb.
1720. rec. Helmsf.
28. An. Dan. Habichtshornius de actum Gideon ad Jos. vi. 24. Hof. 1687.
29. Jo. Frischmuthus de venigmate Samson ad Jud. xiv. 14. Jan. 1682.
30. Jo. Adr. Schmidius de regina Austria ad 1 Reg. x. 1. 179.
Jan. 1693.

31. Jo. Trifschmidtus de Reine Prophetiae nomine et prosapia
 Reg. XVII. 1. Jen. 1609.
32. Val. Flaerius de Schw relo. ad 2. Reg. X, Lips. 1605.
33. Jo. Ga. Abichtius de Goete Jobi ad Jobi XIX, 25-26-27. Lips. 1608.
34. Jo. Andr. Siegrus de formula 4177. 797-49 de Goete
informatio ad Job. XIX, 25. Lips. Died. 1707.
35. Franc. Wolkenius de 51728. in quo pendente fessis ad
Reg. XVII, 25-26. Wittel 1729.
36. Jo. Trifschmidtus de Messias in sepulchro non relinquitur
nullaque corruptioni obnoxio ad Reg. XVII, 10. Jen. 1608.
37. Jo. Trifschmidtus de manuum pedumque Messias in eum
crucifixione perforatione ad Reg. XVII, 37. Jen. 1663.
38. Seb. Schmidius de reclione Messias ad Reg. XLV, 8. Aug. 1690.
reimp. Wittel 1738.
39. Jo. Leont. Reckenberger de specie domus ad Reg. XLVIII, 13. Jen. 1737.
40. Jo. Deutschmannus de Christi hominis ad dextram positio
ad Reg. CX, 1. Wittel 1662.
41. Mich. Boccini de Ornamento fessis ad Reg. CXVIII, 27.
Wittel 1677.
42. Programma de numine Spualis tutelari ad Reg. CXXI,
Helmsf. 1732.
43. Jo. Christi. Hebenstreit de pace super aquas mittendo. ad
Coloh. XI, 1. Lips. 1737.
44. Jan. Cor. Schramm de prophetis posterioribus Helmsf.
1734.
45. Jo. Christi. Ortlob de causis verbi divini non facili
ad Reg. VIII, 20. Lips. 1715.

2
8
25
24
3
2
4
4
4
1
4

46. Jo. Frischmuthus propaganda Messiae ad Jes. IX. 6. 44.
Jen. 1664.
47. Andr. Daniel Habichtshorstius de Domino super nube Levi equi
tantae Aegyptum intrante. ad Jes. XI. 1. Nov. 1689.
48. Jo. Andr. Darius de Judaeis proprio gladio jugulatur ad Jes.
LIII. Witeb. 1679.
49. Christo. Sontagius de novissimorum novissimo ad Jes. LXIV. 3.
(Cor. II. 9. Act. 1697.
50. Jo. Friedr. Siebitzi meditationes, quae religiam applicacionem
Neumanni ad Jes. ~~XXII.~~ XXII. examinal Hal. 1777.
51. Jon. Conr. Schramm de causis regni Christi in his
terr. ad Dauid III. 79. 14. 9. 10. Helmsf. 1774.
52. Erndol. Friedr. Neubauerus de Michade Messia et
ipso Judaeorum testimoniis comprobato ad
Dauid XXII. 11. XXII. 1. Jud. v. 9. Apocalyp. XXII. 7.
Giesf. 1739.
53. Jon. Conr. Schrammii novissimum prophetarum de novissimis
voluntarium ad Dauid XXII. 2. Helmsf. 1774.
54. Jo. Christo. Wespius de juventut labiorum ad Rog. XIV. 3.
Witeb. 1711.
55. Jo. Friedr. Inagius de poenitentia bestiarum Virginitate
ad Jon. III. 7. 8. Leip. 1670.
56. Mich. Procius de Rabbinis templum tercium tingentibus
ad Hag. II. 7. Witeb. 1677.
57. Jo. Andr. Quenstedius de desiderio omnium gentium ad
Hag. II. 8. Witeb. 1668.
58. Sam. Leemannus de confessione pauci ad Eccl. VI. 12. 4.
13. Norn. 1705.
59. Jo. Johsi. Neunhertzi obsem. philol. in Nachb. II. 15. 16. Leip. 1777.
60. Jon. Conr. Schrammii programma, quo defensio quaedam
Deuteronomi Worthheimianis expenditur ad Helmsf. 1777.





44.

CVM EX ACADEMIA JULIA SOLENNI
CVM APPLAVSV DISCEDERET
REVERENDISSIMVS ET ILLV-
STRISSIMVS DOMINVS
DOMINVS
FRANCISCVS
LVDOVICVS
S. R. I. COMES DE OETTINGEN
DISSERTATIONE
DE
PROPHETIS
POSTERIORIBVS

VT ET
DE
PRINCIPIBVS ET COMITIBVS

QVI INDE AB INITIO
ACADEMIÆ JULIÆ
NOMEN DEDERVNT

ABITVM HVNC PIIS VOTIS PROSEQVITVR
JONAS CONRADVS SCHRAMMIVS
TH. D. ET PROF. ORDIN. FAC. TH. H. T. DECANVS
ET ACAD. PRORECTOR.

HELMSTADII LITTERIS JOH. DRIMBORN.
MDCCLXXXIV.

56

57

4

47

48

49

44

COMITATU ACADEMIA JULIA SOLVINGI
 COM APTAVS JUSCERAT
 RANER ENDIS ANNO 1714
 STRUSSING DOMINVS
 DOMINVS
 FRANCISSVS
 LAVDOVICVS
 SERA COMES DE OSTINGI
 DISSERTATIONE
 DE
 PROPHETIS
 POST FERIO RIBVS
 PRESCRIBVS COMITIBVS
 QVINGE ANNO
 ACADAMIA JULIA
 NOMEN DESERVIT
 ANNO RENE RUS VOTE PROGRESSIVE
 IONAS CONRADVS SCHRAMMVS
 THEO ET PROT ORDE ET H. T. DECANVS
 PRAESIDIUM ACADEMIAE SOLVINGI
 ALEXANDER LITERS JON DRIMBOR
 MDCCLXXII

REVERENDISSIME ET ILLVSTRISIME
COMES
DOMINE GRATIOSISSIME



Vid cum Prophetis nobis rei sit, forsi-
tan quaesiverit, cui de TE, Tuisque
studiis nondum satis constat. Si quis
verò non Imperii solum Romani Comi-
tem, sed & togâ sacrâ vestitum,
& quod præcipuum est, in sacris literis evolvendis
cum Theologis peritissimis TE versatum esse, consi-
deraverit, non aequè hoc scriptiois genus mirabitur,
quàm TEcum, Reverendissime Domine, studiosè at-
tendet. Προφητεύειν seu prophetare, Apostolis est
Scripturas Divinas explicare, & Prophetæ hinc di-
cuntur, qui doctrinâ ac presidio suo adsunt Ecclesie,
& Cultus Divini rationem administrant simul ac
dirigunt. Quid ergò TIBI, Domine, convenientius,
quid gratius esse poterat vel debebat? qui in his mu-
neribus explendis totus es, totamque vitam sic tran-
siges, ut facile TE ceterorum Principem vocare li-
ceat.

ceat. Tametsi, Comes Illustrissime, ut quondam
Propheta Posteriores, eò seculo vivas, quo rariores
sunt, qui Scripturis suum pretium statuunt, nedum
ipsi tractant, ut res postulat, aut ipsa, quam subeunt,
vita ratio, vel sors nascendi requirit. Macte igitur
hoc animo, neque hinc TIBI, Domine, adversum sit,
quod studii sinceritate potius, quàm multis verborum
ornamentis expolitum ad TE mitto; & cum plures
solenni hac occasione TIBI vota sua nuncupant, et-
iam ad hæc respicias, quaeso, quæ ab illo profecta, qui
ut ante hos duos annos TE votis precibusque in Al-
bum Civium nostrorum excepit, ita nunc usdem TE
agrè hinc dimittit, & imposterùm quoque, si velis,
& quacunque fortunâ perfruaris, nullo unquam tem-
pore deerit

REVERENDISSIME ET ILLVSTRISSE
COMES
REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSE
NOMINI TVO

omni observantiæ cultu
deditissimus

JON. CONR. SCHRAMMVS. D.

AC. JVL. VICERECTOR.



Rophetas, quod notum est,
Priores vocant Judæi, & qui
hos sequuntur, *Librum* Jo-
suæ, *Judicum*, utrumque Sa-
muelis & *Regum*, *Posterior-*
es, sermones Propheticos, ab
Esaiâ usque ad Zachariam.
Cujus quidem partitionis in
sacris literis aperta non ha-
bemus vestigia. Vt nec in

Talmude talia sunt, quibus præsertim de Posterioribus, quotquot ad hos spectent, & quare sic cognominentur, distinctiùs aliquantò sit descriptum. Quapropter ad Commentatorem in *Bava Batra* tantum provocat BVXTORFIVS, in Tiberiade, Part. II. c. XI. qui aliàs quidem omnem lapidem movet, ut distinctionis hujus autoritatem ex argumentis Talmudicis ibidem adducat. Nec plura quoque ad hanc rem afferunt alii, qui quo quisque studio aut eruditione pollet, de ordine Librorum Veteris Testamenti plenius disputant. Imò verò *posteriores* appellari, ipse observat loco citato BVXTORFIVS, *Haggæum*, *Zachariam*

A

&

& *Malachiam*, qui post reditum demum Judæorum in Palæstinam è Babyloniâ, vixerunt. De quo nos deinceps. Permotus inde & ex aliis nonnullis rationibus SCHIKKARDVS, qui cum DRVSIO Pentad. pag. 4. scriberet in *Bechin. Happerusch. Disp. I. §. 6. Olim propter Typographos & Bibliopegas commodè retentam divisionem; quam tamen subdivisionem generis intermedii in suas species infimas esse, non negat.* Et sic ferè CALOVIVS, in *Bibl. Illustrat. Proleg. ad Prophetas*, p. 651. *Si dicendum, quod res est, valde παροχλῶς sese habere, statuit, istam vulgò receptam à Judeis profectam in Priores & Posteriores Prophetas distributionem.* Quem sequitur CARPZOVIVS *Introd. ad Libros Prophetic.* p. 71. Vbi tamen plures hujus distinctionis causas adducit. Aliorum judicia nunc reticemus. Nec multum repugnamus, si hîc divisionem Generalem omnium Librorum sacrorum, aut saltem Veteris Testamenti poscas, aut ad amussim examines. Vbi ratione materiæ longè aliter in distinguendo procedendum fuerit. At si Propheticos solummodò divides, subdivisio alia esse vix poterit, & omninò suo pondere nititur, quæ ab Officio Prophetarum eminentiori, & à rerum temporumque etiâ discrimine petita est, nec proinde contemnenda, ut ex iis, quæ jamjam sequentur, plenius constabit.

Recepta nimirum jam ab ætate Esræ Scripturæ universæ Veteris Testamenti in Legem & Prophetas distinctio, ut præsertim docent plures paginae Novi Testamenti. Quapropter & Servator Matth. XXII. 40. cum de præcipuis Legis Divinæ, hoc est, Scripturæ Sacræ mandatis quæstio esset, *In his, inquit, duobus mandatis universa Lex pendet, & Prophetæ.*
Idem-

Idemque Matth. XI. 13. *Omnes Prophetae & Lex usque ad Johannem prophetaverunt.* Et Luc. XVI. 16. *Lex & Prophetae usque ad Johannem.* Item Matth. V. 17, *Nolite putare, quoniam veni solvere Legem & Prophetas.* Hinc summam philautiæ legitimæ, tanquam principii officiorum omnium erga proximum, ducit cap. VII. 12. *Hæc, inquit, est enim Lex & Prophetæ.* Ac proinde Luc. XXIV. 27. *Incipiens à Moysse & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturas, quæ de ipso erant.* Abraham verò, teste eodem Servatore nostro, istuc provocabat Luc. XIV. 29. *Habent Moysen & Prophetas, audiant illos.* Similiter Philippus ad Nathanaëlem Joh. I. 45. *Quem scripsit Moyses in Lege, & Prophetae, invenimus Jesum, filium Joseph.* Denique Paulus Act. XXIV. 14. *Se credere, confitetur, omnibus quæ in Lege sunt scripta, & in Prophetis.* Cap. XXVI. 22. *Nihil extra dicere, quam ea, quæ Prophetæ locuti sunt, futura esse, & Moyses.* Cap. XXVIII. 23. *Testificari regnum Dei, ac suadere de Jesu ex Lege Moysi & Prophetis, à mane usque ad vesperam.* Et sic quoque Rom. III. 21. *Justitiam Dei manifestatam esse, ac testificatam à Lege & Prophetis.* Hunc verò ordinem prosequi consueverunt scriptores Ecclesiastici, prout patet ex IRENÆO, Libr. III. adv. Hæreses, cap. 25. unde adducit EVSEBIUS Libr. V. Hist. Eccl. c. 8. cum de LXX. Senioribus, Herosoly-mâ missis ad Ptolomæum, Lagi filium, ad transferendum in Græcum sermonem Scripturam Sacram, differuisset, hæc verba: *Ἐν τοῖς χρόνοις Ἀρταξέρξε τῶν Περσῶν βασιλέως, ἐπέπνευσεν Ἐσδρα τῷ ἱερεῖ, ἐκ τῆς φυλῆς Λευὶ, τὸς τῶν προγεγονότων προφητῶν πάντα ἀνατάξασθαι λόγους, καὶ ἀποκαταστήσαι τῷ λαῷ τὴν διὰ Μωσέως νομοθεσίαν.*

*Temporibus Artaxerxis, Persarum regis, inspiravit Hefdræ sacerdoti, tribus Levi, præteritorum Prophetarum omnes rememorare sermones, & instituere populo eam Legem, quæ data erat per Mosen. Ita & CHRYSOSTOMVS Hom. VIII. ad Hebr. Deum inspirasse primum Legem. Posthæc misisse Prophetas. Denique instruxisse Efram, ad reparandum Scripturas. Qui modus vel citandi vel distribuendi totum Veteris Testamenti codicem certè inde à captivitate Assyriacâ obtinere debebat, quippe qui propter Samaritanos præcipuè atque Saducæos, quibus sola Lex Mosis pro regulâ fuit, in qua edoceri volebant, & ad quam vitam simul & doctrinæ rationem composituros fore, simulabant, II. Reg. XVII. 27. 28. ubi nondum Prophetarum omnia extitêre volumina, à Judæis acerrimè postmodum vindicatus fuit. Ita enim illi inter alia in Midrasch, Elle Haddebbarim, ad Deut. XI. 26. פושעי ישראל שנביאים וכתובי אינן תורה ואין אנו מאמינים בהן שנאמ' ולא שמענו בקול יהוה אלהינו ללכת בתורתו אשר נתן לפנינו ביד עבדין הנביאי' הרו שהנביאים והכתובי קרויי תורה: *Mali Israëlitæ: Prophetas & Hagiographa non pertinere ad Legem; (scilicet, ut Lex totam Scripturam Vet. Testamenti complectitur;) sed nos ab his discedimus. Quoniam dicitur: (Dan. IX. 10.) Et non audivimus vocem Domini Dei nostri, ut ambularemus in Lege ejus, quam dedit nobis per servos suos, Prophetas. Ecce ergo Propheta & Hagiographa Lex appellantur. Ita Christus quoque Joh. XV. 25. Ut impleatur sermo, qui in Lege ipsorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis. Et putat Psalm. XXV. 19. Paulus autem I. Cor. XIV. 21. In Lege scriptum est: Quo-**

Quoniam in aliis linguis, & labiis aliis loquar populo huic; indicans locum Ef. XXVIII. II.

Cum verò non una esset tempore Christi vel allegandi codicem Veteris Testamenti, vel partes ejus numerandi ratio, Servator ideo, relictâ διχοτομία istâ, sequitur τριχοτομίαν, Psalmos numerans cum Prophetis, quos alioqui sub his comprehenderat. Nempè Luc. XXIV, 24. *Quoniam, inquit, necesse est, impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege Moysi, & Prophetis & Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas.* Aliumque adhuc modum eligit, ubi de Versionibus Scripturæ differit SIRACIDES, in Prologo: ἔ γὰρ ἰσοδυναμεῖ αὐτὰ ἐν ἑαυτοῖς ἑβραϊσὶ λεγόμενα, καὶ ὅταν μεταχθῆ εἰς ἑτέραν γλῶσσαν, ἔ μόνον καὶ ταῦτα, ἀλλὰ καὶ ἄλλα, καὶ αὐτὸς ὁ νόμος, καὶ αἱ προφητεῖαι, καὶ τὰ λοιπὰ τῶν βιβλίων, (WOLFF. Part. II. Biblioth. Hebr. p. 41. legit: καὶ τὰ ἄλλα πάτρια βιβλία. Quæ tamen in meis exemplaribus non reperio;) ἔ μικρὰν ἔχει τὴν διαφορὰν ἐν ἑαυτοῖς λεγόμενα. *Nec enim invicem secum conveniunt Hebraicè dicta, & quæ inde in alienam linguam translata. Ut neque hæc solùm, sed & alia, & ipsa Lex & Prophetiæ, & reliqua scripta biblica, (juxt. WOLFF. Et alia scripta patria;) non exiguâ certè differentiâ distant, si in se dicta considerentur.* Respondet distinctio hæc illi, quæ Hebræi Scripturas in תורה Legem, נביאים Prophetas, & כתובים γραφεῖα seu Hagiographa, eadem ætate dispersi fuerant. De quâ in Talmude libr. E-rubbin, f. 17. col. 1. lin. 4. אורייתא נביאי וכתובי Lex, Propheta, & Scripta, id est, Hagiographa. Et in Bava Batr. f. 13. col. 2. lin. 34. מרכיב אדם תורה נביאים וכתובים כחרי: Jungat quisque Legem, Prophetas, & Hagiographa in unum. Et lin. 38. תורה נביאים וכתובים מרכיבם כאחד

כאחד : *Legem, Prophetas, & Hagiographa, invicem con-*
juncta. Addere his etiam licebit *Targum* in Cantic. V. 10.
 ועסיק בעשרין וארבע ספרין דאורייתא ופתגמי נבואה וכתובי:
Et occupatur in viginti quatuor libris Legis, & sermo-
nibus Prophetis, & Hagiographis. Vtut dubitet ipse
 BVXTORFIVS in Tiberiad. c. XI. p. 26. de autoritate
 hujus loci, quod Targum hoc incerti autoris sit, &
 Talmude posterior, quippe quod Sex partium Tal-
 mudicarum hoc eodem loco mentionem faciat. Add.
 etiam FRISCHMUTHI Disput. de Scripturæ in Le-
 gem, Prophetas, & Hagiographa distinctione, Jenæ,
 1665. Quanquam verò non negemus, ex parte invi-
 cem congruere Hebræorum hanc codicem sacrum
 dispertiendi consuetudinem, & quam eligit Christus,
 eliguntque Apostoli locis citatis, est tamen, cur hæc di-
 versitatem non solum quandam observemus, sed nec
 Christum quoque nec Apostolos eandem in citationi-
 bus suis Veteris Testamenti respexisse, asseramus.
 Nam & à potiori parte hi sæpius nominant Legem
 tantum & Prophetas, quàm Psalmos simul, cum He-
 bræi solos cum Lege Prophetas rariùs, aut nunquam
 citare soleant absque mentione Hagiographorum.
 Præterea non sunt idem quid Psalmi & Hagiographa,
 neque hæc, si vel solum Danielelem poscas, Judæosque
 consulas, ad Prophetas cuncta referri possunt. Super-
 est igitur calculus JOSEPHI, & LXX. Interpretum,
 antiquissimus, & Senioribus Synagogæ Judaicæ, quæ
 fuit Hierosolymis, maximè conformis, quem Christo
 æquè atque ceteris Scriptoribus Novi Testamenti
 placuisse, non est cur dubitemus, si præcipuè percur-
 ramus, quæ ex editis exemplaribus Græcis Vet. Te-
 stamenti isti adducere solent. Ita verò de Libris hu-
 jus

jus JOSEPHVS, cujus verba, etiamsi plura sint, ta-
 men considerationem eò majorem merentur, Libr. I.
 contra Apionem, non longè ab initio : Μήτε τῆ ὑπο-
 γράφειν αὐτεξουσίαι πᾶσιν ὄντος, μήτε τινος ἐν τοῖς γραφομένοις
 ἐνέσης διαφωνίας, ἀλλὰ μόνων τῶν Προφητῶν τὰ μὲν ἀνωτάτα
 καὶ παλαιότατα, κατὰ τὴν ἐπιπνοίαν τὴν ἀπὸ τῆ Θεῆ, μαθόν-
 των, τὰ δὲ κατ' ἑαυτῶν ὡς ἐγένετο σαφῶς συγγραφόντων, ἔμυ-
 ρίαδες βιβλίων εἰσὶ παρ' ἡμῖν, ἀσυμφώνων καὶ μαχομένων δύο δὲ
 μόνον πρὸς τοῖς ἑκοσι βιβλία, τῆ παντὸς ἔχοντα χρόνον τὴν ἀνα-
 γραφὴν τὰ δικαίως πεπιστευμένα καὶ τέτων πέντε μὲν ἐστὶ Μου-
 σέως, ἃ τῆς γενομένης περιέχει, καὶ τὴν ἀπ' ἀνδρωπογονίας πα-
 ράδοσιν μέχρι τῆ αὐτῆς τελευτῆς. Ἔτος ὁ χρόνος ἀπολείπει τρι-
 χιλίων ὀλίγα ἔτων. Ἀπὸ δὲ τῆς Μουσέως τελευτῆς, μέχρι τῆς
 Ἀρταξέρξε, τῆ μετὰ Ξέρξην Περσῶν βασιλείας, ἀρχῆς, οἱ κατὰ
 Μουσὴν προφήται τὰ κατ' αὐτῶν πραχθέντα συνέγραψαν, ἐν
 τρισὶ καὶ δέκα βιβλίοις· αἱ δὲ λοιπαὶ τέσσαρες ὕμνος εἰς τὸν
 Θεόν, καὶ τοῖς ἀνθρώποις ὑποθήκας τῆ βίβη περιέχουσιν ἀπὸ δὲ
 Ἀρταξέρξε, μέχρι τῆ κατ' ἡμᾶς χρόνος, γέγραπτα μὲν ἕκαστα,
 πίστεως δὲ ἔχ' ὁμοίας ἠξιώται τοῖς πρὸ ἑαυτῶν, διὰ τὸ μὴ γενέ-
 σθαι τὴν τῶν Προφητῶν ἀκριβῆ διαδοχὴν. δῆλον δ' ἐστὶν ἔργον, πῶς
 ἡμεῖς τοῖς ἰδίοις γραμμασι πεπιστεύκαμεν τοσούτοις γὰρ αἰῶνος ἤδη
 παρωχηκότες ἔτε προδεῖναι τίς εἴδεν, ἔτε ἀφελεῖν αὐτῶν, ἔτε
 μεταθεῖναι τετόλμηκεν. πᾶσι καὶ σύμφυτον ἐστὶν εὐδὺς ἐκ τῆς
 πρώτης γενέσεως ἰσθαίοις ὀνομάζειν αὐτὰ Θεῆ δόγματα, καὶ
 ταύτοις ἐμμένειν, καὶ περὶ αὐτῶν εἰ δεῖ ἰσθῆσαι ἠδέως. *Cum*
neque potestas conscribendi (libros sacros) omnibus da-
ta, neque ulla in descriptione discordia sit, sed solummodo
Propheta summa partim ἔ· vetustissima per divinam
inspirationem à Deo didicerint, partim ea, quæ suâ etate
gesta sunt, similiter sapienterque conscripserint, non apud
nos

nos infiniti libri sunt discordantes atque pugnantes. Sed viginti tantum ac duo libri sunt, cujusque temporis descriptionem præferentes, quorum juste fides admittitur. Horum ergo quinque quidem sunt Mosis, qui nativitates rerum continent, & inde ab humana generatione traditionem, usque ad ejus mortem. Hoc tempus de tribus millibus annis paululum minus est. A morte verò Mosis, usque ad Artaxerxis, qui rex Persarum fuit post Xerxem, imperium, Prophetæ suorum temporum res conscripserunt Tredecim Voluminibus. Reliqui autem Quatuor Psalmos ad Deum & humana vite præcepta comprehendunt. Ab Artaxerxe verò usque ad nostrum tempus quanquam singula scripta sunt, non tamen simili fide cum prioribus sunt habita, propterea, quod non esset certa Prophetarum successio. Ipso verò factò constat, quomodo nos propriis literis credamus; tantò siquidem seculo præterlapsò, neque adjicere quicquam aliquis, neque auferre, neque transponere ausus est. Atque omnibus à natura velut insitum est, & à primà statim generatione, Judæis, hæc Dei nominare dogmata, & in his inherere, imò si opus est, propter eadem mori libenter.

En, egregium de Canone Veteris Testamenti testimonium, en, historiam universam, quam proinde etiam profequitur PHILO Judæus apud SIXTVM Senensem, in Bibliothec. Sacr. L. IV. Quod verò maximum est, & nobis imprimis hoc loco propositum, quadrat hæc descriptio JOSEPHI in istam Christi allegationem, quâ iste Mosen, Prophetas & Psalmos nominat; etiam si, qui non satis intelligunt hunc locum, de ejusdem sensu disputent, nec minori obscuritate, ac discrepantiâ ab Hebræis laborare, contendant. Nos verò hîc obiter tantum, & brevibus, ut de potioribus
con-

constet, & quomodo hæc scopo nostro inferviant, capita evolvemus sequentia. Nempè quod numerum Librorum Sacrorum attinet, ad illum notamus, quod Alphabetum Hebraicum priscum, si ψ *Schin* & ψ *Sin*, pro unâ literâ sumantur, pluribus quàm Vigin-ti Duabus literis haud fuerit compositum, juxtâ quem numerum Libros Sacros dicuntur divisisse Hebræi. Deinde quoque, quos intellexerit Christus Prophetas, quos solos pro majori numero à Lege sapissimè, vel quod idem est, à Moyse ejusque Libris divellit, vel Psalmis additis, ab his quoque & à Lege distinguit, quidque sibi voluerit, cum Psalmos tantum pro tertîa parte nominaret, ex iisdem JOSEPHI verbis majori liquet evidentiâ, quàm ex illis Judæorum כתובים, *Hagiographis*, quippe quæ nec Psalmis æquè respon-dent, quàm *quatuor Hymni*, τέσσαρες ὕμνοι, qui appel-lantur à JOSEPHO, nec proinde in allegationem Christi congruunt. Nisi fortè de iisdem pari modo sentias cum MAYMONIDE, in *More Nevochim*, Part. II. c. 45. p. 319. : ואלו גם כן נביאים בכלל. *Et hi ipsi*, (Esra, Daniel, Psalmi, &c.) quoque dicuntur Prophetæ in gene-re. Quemadmodum Assaph, Heman, & Jedithun com-memorantur *prophetasse in citharis*, I. Par. XXVI, 3. Quo pacto tamen Prophetis incluserit Christus, nec Psalmos seorsim vocaverit. Ita verò secundum JO-SEPHVM sunt omnes illi Prophetæ, qui distincti à Pentateuchi aut Legis Autore, Mose, res suorum tem-porum Tredecim Voluminibus exponunt, nempè li-bro Josuæ, Judicum, Samuelis, & Regum, sic ut pro duobus tantum habeantur, Samuelis & Regum, etsi quatuor sint, tribus Prophetis majoribus, volumine duodecim minorum, qui est Judæorum *Octoteuchus*,

B

de

de quo paulò post, tum verò utroque librò Paralipomenon, qui pro uno quondam habitus est, utroque Efræ, id est, Efræ & Nehemiæ, qui & ipse hîc unus, hinc Jobi, Danielis & Esther. Quatuor his Psalmos addit Christus è computandi modo JOSEPHI, & per *τρισχοπιων*, qui sunt absque dubio, liber Psalmorum, Proverbiorum, Ecclesiasticis, & Cantici Canticorum, qui continent, ut JOSEPHVS ait, *humane vite præcepta, & ad Deum in devotis meditationibus diriguntur.* Vnde & Psalmorum cognomine veniunt. Utut de Christo simul ejusque Regno testari, nec ipsi Judæi inficientur. Libellum Ruth ad Judices semper retulerunt veteres, & Threnorum ad vaticinia Jeremiæ. Quare JOSEPHVS duo tantum & viginti hîc numerat volumina, quorum Hebræi, qui duos illos separatim ad Quinque Megillot seu volumina referunt, viginti & quatuor facere solent.

His igitur ad locum JOSEPHI annotatis, concludemus porrò, Prophetas, prout autoritare & officiis Mose, post legem latam atque ab eodem conscriptam, fuere minores, & prout quoque materiâ æquè ac dictione discrepant à Pentateuchò Mosaico, ita & in enumeratis partibus Scripturæ Sacræ benè ab hoc, vel à Lege Moseque, quæ pro synonymis invicem habentur, distingui. Autoritatem enim quod concernit, constat Prophetas non fuisse Legislatores, qualis erat Moses, utut Deo inferior, sed tantum Interpretes, quibus ideò competeat, statim ab initio, postquam Lex promulgata erat, sanctè eam conservare, nec committere, ut ullâ in parte violaretur. Quem & in finem ab ipso divino Spiritu instructi, *Videntesque* appellati, I. Sam. IX. 9. cum Aarone Pontifice, Moïsi Prophetâ,
Exod.

Exod. VII. i. ceterisque Sacerdotibus conveniebant. Nam & *labia sacerdotis custodire scientiam; & Legem ab ejus ore requirere debebant, quia angelus Domini erat*, Malach. II. 17. Et ipsi sæpè Sacerdotes Prophetæ, natiq̃ue è familiâ Sacerdotum, qualis Jeremias, Jer. I. i. Quoniam verò nihil adhuc scriptorum Prophetico- rum præter Legem in Canonem Sacrarum Literarum receptum erat, tempore Josuæ adhuc Lex volumen peculiare constituit, prout indicat illud Dei mandatum Jos. I. 8. *Non recedet Volumen Legis hujus ab ore tuo: sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias, & facias omnia, que scripta sunt in eo.* Nec itatim æquè Prophetarum scripta, ut vel Tabulæ, vel Volumen Legis, Arcæ Fœderis imposita fuisset, legimus Deut. XXXI. 25. I. Reg. VIII. 9. II. Par. V. 10. Ut nec inventum est quicquam horum, unà cum Volumine Legis, sub Josiâ, rege Judæ, II. Reg. XXII. 9. quod eodem in pretio ab hoc vel Judæis haberetur. Ut negandum non sit, successu temporis Prophetas Legi fuisset annexos, ut patet ex Jos. XXIV. 26. I. Sam. X. 25. & proinde *in templo populi Hebræi*, teste AVGVSTINO, *postmodum servatos.* De quo MAJI Diff. II. de Scripturâ Sacrà. Sabbatis denique unà cum Pericopis Legalibus prælectas fuisset Propheticas, haud constat, donec Antiochus Libros omnes Legis Mosaicæ prorsus aboleri jussit, I. Maccab. I. 59. ubi autumant Judæi, Pericopas Propheticas *Haphtharot* dictas, in locum Legalium successisse. Quicquid verò horum sit, Josua ideò appellatur à Siracide, cap. XLVI. i. *Successor Moysè in Prophetis, qui fuit magnus secundum nomen suum; cum quod Mosi primus in regimine succederet, tum quod in scriptoribus Prophetis, quorum à Judæis confer-*

vata fuerint, editaque monumenta, ceteris post Mosen præcederet. Officium autem Prophetarum cum constet satis, tum imprimis ad scopum id facit, quod Legis fuerint Interpretes, instructi quippe, quomodo ad res suæ ætatis illam applicare, & quomodo agenda quæque vel discenda eò dirigere conveniat, quæque sint, quæ id suadeant, rationes, aut circumstantiæ. Idemque illi præstiterunt nunc per Allocutiones ad cœtum, nunc per Preces & Cantica, qualia quoque Poëtæ in hunc finem fecerunt, nunc verò per Historias simul, quemadmodum Esaias & Jeremias partem insignem Libro Regum Posteriori addidisse, suisque idcirco Vaticanis inseruisse, disertè feruntur. Scilicet hoc nomen æquè ipsorum ac munus intelligit PHILO Judæus, cum Libr. de Præmiis & Pœnis, ait p. 918. Ἐρμηνεύς γὰρ ἔστι ὁ Προφήτης, ἐνδοξὸν ὑπερχεῖντος τὰ λεκτικὰ τῶ Θεῷ. *Interpres enim est Propheta Dei, qui intus ipsi suggerit oracula.* Cumque idem, quod hoc pacto proponerent, scire æquè posteris proficuum esset, ad exemplum Mosis, Legem ejusque Historiam scribentis, à Deo jussi ea, quæ dixerant, utut non omnia, nec semper describere. Nempe ad tenorem mandati divini, Deut. XXXI. 26. 27. *Tollite librum, & ponite in latere arce fœderis.* Quæ etiam illa Judæorum Kabbala, seu Traditio, est, quam vocant Prophetiam, & de quâ in *Halichot Olam* p. 51. רבי בכל רוכתא דברי. תורה מרברי הקבלה לא ולפינן ר"ל דבר תורה תורת משה קרויה תורה לפי שנתנה לדורות ושל נבואים לא מיקרו אלא דברי קבלה שקבלו מרוה הקודש כל נבואה ונבואה לפי צורך השעה והרור ודמעשה: *Ecce, quod dicit Rabbi: Nunquam nos docent Legem è Cabbala; Legem, inquam, Mosaicam, quæ Lex dicitur, quod data in univèrsum per omnes*

omnes generationes. *Prophetae autem dicuntur Cabbala, quoniam acceperunt quamque Prophetiam, prout tempus, ætas, & facta nostra postulabant.* Quibus hoc denotare voluerant, quod Lex debeat præcedere Prophetias, adeoque solum per has explicari, non verò cum iisdem misceri. Quare etiam doctrinam, seu Traditionem hanc Mosen à Deo, docuerunt, præter Legem accepisse in monte Sinai, qui & ipse hinc Propheta; unde didicerit Josua. Josuam tradidisse Senioribus, Seniores Prophetis, Prophetas viris synagogæ magnæ; ut est in *Massechet Avot*, c. I. vers. I. *Interim Regula & Canon omnis prophetie & doctrine adhuc Moses erat,* ut benè COCCEJVS, in *Considerationibus* ad ultima verba Mosis. Disputat quoque MAYMONIDES, Prolegom. ad *Chafaka, an dicta Prophetarum, aut quomodo sint nova, aut ad exponendam Legem prolata;* obstante Dei mandato Deut. XII. 32. Quæ tamen causæ non omninò satisfaciunt. Rectius DIONYSIVS Carthufianus Præf. ad Enarrat. Prophet. Minor. *Legi, inquit, Mose prophetia successit, ut minus dicta suppleat, obscura elucidet, & de Christi mysteriis plenius tractet.* Quod quidem omne, præviâ institutione ac notitiâ propriâ, fecisse, concedimus. At causam tamen præcipuam, quâ moti sunt, quâque edocti, fuisse instinctum Spiritus Sancti, qui & Spiritus Propheticus audit, haud ignoramus, & suprâ quoque monuit JOSEPHVS.

Quoniam verò Prophetae post Legem pro functione suâ & ætate tam varii, tamque ingens etiam hinc absolvunt intervallum, Judæi eos in *Priores & Posteriores* diviserunt, nec tamen satis determinarunt, unde hoc potissimum inchoandum esset discrimen, nisi quod posteriores separato quodam atque uno volumine

mine exhiberent. Equidem in *Bar. Barr. c. 2. fol. 14. b.* computum idè ordinemque omnium prophetarum in *Octoteucho* suppeditant, sequentem in modum: תנו רבנן סדרן של נביאים יהושע ושופטים שמואל ומלכים; ירמיה ויחזקאל ישעיה ותרי עשר: *Tradunt doctores nostri, quod ordo hic omnium librorum prophetarum sit receptus, nempe Josue, Judicum, Samuelis, Regum, Jeremie, Ezechielis, Esaiæ & Duodecim,* scilicet Prophetarum Minorum. Ad quem locum LIGHTFOOT, *Hor. Hebr. ad Luc. XXIV. 44.* Qui tamen computus generalis est, ab aliis abludens, ut vidimus è testimonio JOSEPHI; etiamsi eundem & ipse sequatur HIERONYMVS in Prologo Galeato, & diversum iterum utrinque instituat in Epistolâ ad Paulinam. Sed in *Massechet Avot*, loc. cit. distinguunt Prophetas à senioribus, & viris synagogæ magnæ. Quærunt quoque in *Sota*, fol. 48. c. 2. מן נביאים ראשונים אמר רב הונא זה רוד ושמואל ושלמה: *Quinam sunt Prophete Priores? dixit Raf Huna: David, & Samuel, & Salomon.* Sed hi saltem exempli gratiâ nominantur, nec ordine convenienti. Quemadmodum & ipsi ibidem de Posterioribus: לאפוקי: מחגי זכריה ומלאכי ואחרונים ניהו: *Ad opponendum eos Haggeo, Zacharie, & Malachie, qui sunt posteriores.* Longè verò antiquior Abrahamus, idè Prophetis Prioribus accensendus, è *Gen. XX. 7.* Ne commemoremus Henochum, *Jud. v. 14.* & Mosen, è *Deut. XVIII. 15.* Hi igitur quorsum spectant? & quorsum etiam nunc pertinerent Esaias, Jeremias, & reliqui?

Possumus ergò sic admittere eam quidem in Priores & Posteriores Prophetarum distinctionem, sed bono sensu, & ex alio capite potiori. Ad Prophetas nimirum pertinere Josuam & Samuelem, horumque libros, etiam

etiam testantur scriptores Novi Testamenti. *Dedit eis,* inquit Apostolus, Act. XIII. 20. *Judices usque ad Samuelem prophetam.* Non quod Prophetæ ante Samuelem haud fuerint, sed quod Judices, populum Judaicum gubernantes, cum Samuele defierint. Et Act. III. 24. *Omnes Prophetæ à Samuele & deinceps, qui locuti sunt, annuntiaverunt dies istos.* Non quod tales ante illum haud extiterint, siquidem ipse æquè Josua atque exempla Prophetæ, tempore Gideonis, Jud. VI. 8. & illius, qui ad Eli sacerdotem mittebatur, I. Sam. II. 27. extant in contrarium; sed quod ob raritatem Legis Divinæ & Prophetiæ ad eandem, de quâ I. Sam. III. 1. Samuel scholas inchoaret Propheticas, & jam fieret Prophetarum post Mosen, à quo incipimus Libros Sacræ Scripturæ, magister, teste historiâ I. Sam. XIX. 20. Vnde etiam in Talmude Herosolym. Tr. *Chagiga*, fol. 77. c. I. שמואל רבן של נביאים *Samuel magister est prophetarum.* Librum autem Josuæ & Judicum, quod munus Prophetarum erat, ipse primùm auxit rebus, suo tempore gestis, & in ordinem redegit, de quo videri poterit Jos. cap. ultim. Jud. XVII. 6. XVIII. 1. 31. Atque eisdem etiam de causis Prophetiæ nomen in historias istas derivavit, quale postmodum apud Hebræos idèd, & apud Syros obtinuisse, auctor est THEODORETUS, ad Libr. I. Samuelis. Et sic Prophetæ Priores sunt libri Prophetarum, inde à Josuâ, ab autoribus suis Prophetarum nomine postmodum inscripti. Namque calamum his, qui sequuntur, in historiâ Regum Judaicorum recensendâ, præter Davidem & Salomonem admovisse Nathanem, Gadum, Achiam Silonitam, Addonem videntem, cognomine Semajam, Jehu denique, & Esaiam, & Jeremi-

remiam, testimonia adfunt aperta I. Par. XXX. 29. II. Par. IX. 29. XII. 15. XIII. 22. XX. 34. XXVI. 22. II. Reg. XXV. i. sqq. coll. cum Jer. LII. quibus plura Prophetæ de Prophetis. Atque hos quidem cum ab ætate superiori, tum à florente adhuc Reipubl. & Ecclesiæ Judaicæ statu, Priores Prophetas ipse appellat Zacharias, qui è posterioribus erat, c. VII. 7. *Numquid, inquit, non sunt verba, quæ locutus est Dominus in manu Prophetarum Priorum, cum adhuc Jerusalem habitaretur, & esset opulenta ipsa, & urbes in circuitu ejus, & ad austrum, & ea campestribus habitaretur?* Quæ verba indicant, quales potissimum fuerint Prophetæ Priores, & qui fuerint Libri illi, quos hodie maximam partem ab his denominamus.

Sed & alia ratio est Prophetarum, qui vulgò hinc cognominantur, Posteriorum. Differunt hi non nomine tantum, ac temporum serie, sed & conditione, quæ tum fuit, Ecclesiæ æquè ac Reipubl. Hebraicæ, denique etiam orationum genere & vocatione peculiari. Incipiunt enim ab illo ferè intervallo, quo vixit rex Judæorum *VSIAS*, Israëlitarum, *JEROBOAM*, ut patet præcipuè è titulis singulorum, si qui his præfiguntur, tum verò etiam ex argumentis & circumstantiis reliquis. Primique ex hoc genere sunt *Hoseas*, *Esaïas*, *Micha* & *Amos*. De quo iterum in *Bava Batra* loc. cit. Judæi: מכרי הושע קדים דכתיב תחלה דבר ה' בהושע וכי עם הושע דבר תחלה והלא ממשה ועד הושע כמה נביאים היו אמר רבי יוחנן שהיה תחלה לארכעה נביאי' שנתכבאו באותו הפרק יאלו הן הושע וישעיה עמוס ומכה ולוקדמיה להושע כיון דכתיב נבואתיה גבי זכוריה מלאכי והגו זכוריה ומלאכי סוף נביאים היו: *Quare præcedit Hoseas? quia scribitur: (Hof. I. I.)*

Ini-

Initio locutus est Deus per Hoseam. Num verò locutus est primum per Hoseam? nonne à Mose usque ad Hoseam tot prophetae fuerunt? Respondit Rabbi Jochanan, quod fuerit hoc initium quatuor Prophetarum, qui isto intervallo vaticinati sunt, qui sunt Hoseas & Esaias, Amos & Micha. Et quod attinet (præ ceteris) Hoseam, & quare in fronte hic appareat, id ideò quoque sic obtinere videtur, quia scripta est ejus prophetia (eodem volumine) cum Haggæo, Zacharià & Malachia, in quo Haggæus, Zacharias, & Malachias finem prophetarum constituunt. Facile ex his intelligitur, volumen illud prophetarum respici, in quo primus Hoseas ratione temporis, ultimi Haggæus, Zacharias, & Malachias. Qui sunt ipsi Prophetae Posteriores. Quamquam argumentum illud, à verbis initialibus desumptum, sit imbecillius.

Qui igitur hoc volumine comprehenduntur, cognominati Prophetae κατ' ἐξοχήν, & sine addito, cum ab optimo Servatore, tum ab Apostolis, & deinceps quoque ab omnibus Scriptoribus Ecclesiasticis, non minus, quam à Judæis, quos supra citavimus. Bis tantum fit mentio Davidis solius, sub nomine Prophetæ, & in singulari numero, Matth. XIII. 35. XXVII. 35. quoniam eandem cum Prophetis dicendi materiam profequi solet. At modo eloquendi differt. Nec tamen ceteri similiter. Paulò ante captivitatem Babylo- nicam jam præluserat Jeremias, c. XLIV. 4. 5. 6. *Et misi ad vos omnes servos meos prophetas, de nocte consurgens, mittensque, ac dicens: Nolite facere verbum abominationis hujuscemodi, quam odivi. Et non audierunt me, nec inclinaverunt aurem suam, ut conveterentur à malis suis, & non sacrificarent Diis alienis.* Et conflata
C
est

est indignatio mea & furor meus, & succensa est in ci-
 vitatibus Juda, & in plateis Jerusalem: & versa sunt
 in solitudinem & vastitatem, secundum diem hanc. Post
 captivitatem illam etiam Nehemias, c. IX. 30. Et pro-
 traxisti super eos annos multos, & contestatus es eos in
 spiritu tuo per manum Prophetarum tuorum, & non
 audierunt: & tradidisti eos in manu populorum terra-
 rum. Vnde consuetudo devoluta ad tempora Chri-
 sti & ultra, Prophetas eodem significatu dicendi, qui
 ex ordine Posteriorum fuerunt. Ita Matthæus c. II. 23.
 Ut adimpleretur, quod dictum est per Prophetas. Quo-
 niam Nazareus vocabitur. Vbi certè aliorum haud
 respicit Scriptor Sacer, quàm ad Es. XI. 1. Et surcu-
 lus (וּנְצֵר) de radice ejus ascendet. Quoniam urbs Na-
 zareth est à נְצֵר, surculo, qualis etiam dictus est Chri-
 stus. Sic & Marc. I. 2. Sicut scriptum est in Prophetis:
 Vel ut alia exemplaria: In Esaiâ Prophetâ: Ecce mitto
 Angelum meum. --- Vox clamantis in deserto. Quod
 illud est Mal. III. 1. & Es. XL. 3. per combinationem.
 Et Joh. VI. 45. Et scriptum est in Prophetis: Et erunt
 omnes docibiles Dei. Quod habetur Es. LIV. 12. Quem
 allegandi modum sequitur Petrus, Act. XIII. 40. Ne
 vobis superveniat, quod dictum est in Prophetis: Vide-
 te contemtores & admiramini; & reliqu. Quod illud
 est Habac. I. 4. Stephanus verò disertè appellat Li-
 brum Prophetarum, Act. VII. 42. Sicut scriptum est in
 libro Prophetarum: Numquid victimas & hostias obtu-
 listis mihi? Quod reperitur Amos V. 25. Verba Pro-
 phetarum, Hebr. רַבְרֵי נְבִיאִים, Petrus, Act. XV. 15.
 Concordant verba Prophetarum, sicut scriptum est: Post-
 hæc revertar, & resuscitabo tabernaculum David. Quod
 habetur Am. II. 22. Eâdemque de causâ post Judices,
 Davi-

Davidem, & Samuelem, separatim adduntur Prophetæ, Hebr. XI, 32. Quin & Eliás à Prophetis distinguitur Marc. VI. 15. VIII. 28. Matth. XIV. 5. Denique junguntur hinc etiam Prophetæ cum Historiâ Regum, ac Davidis seu rebus gestis, seu Psalmis, utpote quæ ætate excipiunt, ut & cum Epistolis Regum & Donariis, ad ipsorum regimen spectantibus, in quibus digerendis operam præcipuam posuerit Nehemias, & post eum Judas, II. Macc. II. 13. Εξηγῆντο δὲ καὶ ἐν ταῖς ἀναγεγραφαῖς, καὶ ἐν τοῖς ὑπομνηματισμοῖς, τοῖς κατὰ τὸν Νεεμίαν, τὰ αὐτὰ, καὶ ὡς καταβαλλόμενος βιβλιοθήκην, ἐπισυνήγαγε τὰ περὶ τῶν βασιλέων καὶ προφητῶν, καὶ τὰ τῷ Δαυίδ, καὶ ἐπιβολὰς βασιλέων περὶ ἀναδημάτων ὡσαύτως δὲ καὶ Ἰούδας. *Narrantur autem & in fastis & commentariis, quæ juxta Nehemiam sunt, (scilicet digesta,) talia, & quomodo instruens quasi bibliothecam, congesserit in illam simul historiam Regum, & Prophetarum, & Davidis, & Epistolas Regum de Donariis. Ita & Judas.* Ex quo posteriores potissimum indicari, sicubi quondam Prophetas nominaverint, aut librum Prophetarum, facile cognoscitur.

Conveniebat enim, eodem ordine digeri, quorum conciones sæpè prolixiores atque iteratæ crebrius, multis nunc admonitionibus & doctrinis, nunc & in vectivis & vaticiniis, præsertim de Christo, ejusque Regno Spirituali & vocatione Gentium ad illud perpetuis, stylo certè multum ab historico abeunte, impletæ. Id quod Petrus testatur Act. X. 43. *Huic omnes Prophete testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.* Et Act. III. 24. *Omnes Prophete à Samuele, & deinceps, qui locuti sunt, (i. e. quorum extant sermones,) prænun-*

ciaverunt dies istos. Vos estis filii Prophetarum, & testamenti. In Epistolâ autem priori c. I. 10. De qua salute exquisiverunt & scrutati sunt Propheta, qui de futura vobis gratiâ prophetaverunt. Quadrant verò in hæc illa quoque, quæ Judæi differunt ided in *Sanhedrin*, cap. *Chelek*. אמר ר' יוחנן כל הנביאים כלם לא נתנבאו אלא לימות המשיח: *Dixit Rabbi Jochanam. Omnes prophete de nullâ re magis, quàm de diebus Messie dixerunt.* Videlicet quia hic est præcipuus Prophetarum character. Et quanquam Henoeh de Adventu etiam Christi ad Judicium Jud. v. 14. dixisse feratur, & inde Apostoli Prophetæ Novi Testamenti dicendi sint, pariter, ut multi Prophetarum Posteriorum, hunc adventum Christi ultimum designantium, Adventum tamen Christi in carnem, seu in hunc mundum, primum, qui hîc potior est, & ob ampliora solatia sic dictus, haud æquè denotârunt. Quoniam verò Act. III. 24. inter Prophetas etiam recensentur Samuel, & qui eundem secuti sunt in officio, sciendum est, ab illo tantùm initium fieri, quoniam prophetarum parens est, nec planè sterilis vaticiniis de Christo, utut neque tam aperta, velut reliquorum, ea sint, neque tam ampla aut frequentia, nec literis eodem ordine tradita. A potiori enim hîc iterùm & pro more facta denominatio; siquidem quæ verbo historici, & obiter quasi inspergunt solummodò, eadem prophetæ proluxiori fermone, & pro muneris sui ratione repetunt atque expediunt. Quæ propterea, cum uno Volumine, à se edita, ipsi colligerent Esaias & Jeremias, ab historiis suis sollicitè separârunt. Contrâ verò quicquid ipsi vel alii in historiis tradunt ex instituto, idem vel simile quid brevibus tantùm, & tanquam in transcurso, quin

quin vel rarissime, atque ubi ad scopum suum facit, attingunt.

Quamobrem hanc quoque causam fuisse, quare Orationes Prophetarum unâ serie libroque eodem exhibeantur, cum alias memoria lectoris, in historiis tantum occupati, aut in evolvendis sermonibus propheticis, facile alienis, præcipuè si longiori ambitu ea constarent, turbari potuisset, arbitratur ABARBANEL, ac proinde sic differit in Præfat. ad Josuam, fol. 2. col. 2.

ולאמר שיאמר מדוע לא נכתבו הנבואות כלם ודברי רוח הקדש מהנביאים והכתוב' בתוך ספורי המלכים אשר היו בימיהם כמו שנכתבו נבואות שמואל וגד ונתן ואליהו ואלישע ושאר הנביאים הנזכרים בספר שמואל ובספר מלכים כל אחד במקומו ובזמן המלך אשר נבא אז ולמה יוחדו ספרים בפני עצמם לנבואות הנביאים האלה ישעיהו וירמיהו וזולתו וכ"ש עובדיה ויונה ושאר הנביאים אשר לא נמצאו בהם כי אם נבואות מועטות ויוחדו עליהם אם כל זה ספרים בפני עצמם ולא יוחדו כן ספרים לנבואות שמואל וגד החוזה ונתן הנביא ואלישע וכאן דבריהם משוברים בתוך הספרים ואני אשיב לזה שלא נכתבו הנבואות והשירים ומאמרי החכמה החמה אשר באו בספרי הנבואות ובספרי תהלות דוד וחכמת שלמה בתוך הספרים ובספרי המלכי אשר קרו בימיהם לשתי סבות והאחת כדי שלא תכבד העבודה על המעינים ולא יוכלו להשיג אמתת הספרים במה שיכנס ביניהם מאורך הנבואות ודברי השירים וגודל המאמרים המדעיים אשר יבאו בתוכם ולכן בחרו לכתוב הספרים בפני עצמם מחוברים ונמשכים זה אחר זה מבלי הפסק ועשו ספרים בפני עצמם מנבואות הנביאים בימי' ההם וספר מיוחד לשירי דוד וקננו וכן יוחדו ספרים למדברים ברוח הקדש אשר דברו באותו זמן כפי חומר הדברים וחלוקת הדרושים ותסכת השנית היא שר' הספרים האלה ר"ל יהושע ושופטים שמואל ומלכים ויוחדו בעצמם וראשנה

56

57

4

47

4

4

וראשנה לספורי השופטים והמלכים וקורותם ולזה לא באו בהם מהנבואות כי אם המתחסות לעניני אות' השופטים והמלכים ולספוריהם כי להיותם הכרחיות לידעת הספורי היה ראוי ומחוייב שיתחברו עמהם ויכאו בתוכם וכן ספורי הנביאים כמה שאין בו נבואה וספורי נסים אשר עשו בזמן המלכים מאשר לא היו כהן נבואות באו גם כן בתוך הספורים מהצר שיתחסו כלם למלכים ההם אמנם שאר הנבואות אשר נכאו הנביאים כמה שאינם מתחסות לספורי המלכים ואינם הכרחיות להכתב שמה לא באו בתוכם והושמו ספורים בפני עצמם בין שיהיו נבואות רבות או מועטות להיותם הגדת העתידות או ענינים מתחסים לנביאים ההם עצמם ונבואותיהם ונבואות האומות ואינם ממין ספורי המלכים ועניניהם הנה נתבאר מכלי זה מדרגת ד' הספורים האלה והושע שופטים שמואל ומלכים וזמן חבורם והוה שמעתי לבאר המחקר הראשון הורר:

*Et si quis quærat, quare non scriptæ sint prophetiæ omnes, & quæ præter has instinctu Spiritus Sancti dicta literisque consignata à Prophetis, in ipsâ historiâ Regum, quorum etate vixerunt, prout scriptæ sunt prophetiæ Samuelis, & Gad, & Elia & Elise; & reliquorum prophetarum in libro Samuelis, & Regum nominatorum, quisque suo loco, ac tempore Regis, sub quo prophetavit eorum unusquisque: & quare potius conjuncti fuerint libelli isti in unum volumen cum vaticiniis Esaiæ, Jeremiæ, & aliorum? imprimis cum Obadiæ & Jonæ & ejusmodi plurium, breves tantum extent sermones, & nihilominus ex his libri peculiare formati; nec similiter compositi sint tales è Prophetiis Samuelis, Gad videntis, Nathanis prophetæ, & Elise, sed orationes ipsorum historiis sint intextæ? Ego verò respondeo, quod non scriptæ sint prophetiæ, nec cantica, nec alia scrip-
ta*

ta sapientia, quæ in libris Prophetiis, & Psalmis Davidis, & Salomonis sapientia reperiuntur, in mediis libris & historiis Regum, quorum diebus originem suam debent, propter duas causas. Prima est, ne difficultas lectoribus oboriretur, quæ seriem historicam non æquè assequi licuisset, propter longiores prophetias insertas, aut cantica nimia, aut propter multitudinem dictorum sapientum, quæ historia inspergerentur. Ideoque instituerunt separare historias, conjunctas utpote inter se, & eodem nexu scriptas, sine hiato aut intervallo, contra verò è prophetiis prophetarum ejus ætatis fecerunt libellos distinctos, ut & librum distinctum è Canticis Davidicis & seniorum ejus: & sic quoque è verbis sapientum, qui locuti sunt per spiritum sanctum eodem tempore, juxta materiam dictorum, & diversitatem concionum. Ratio altera est, quod Quatuor isti libri, Josue, Judicum, Samuelis, & Regum, seorsim inter se juncti, & ab initio, propter narrationes historicas de Judicibus & Regibus & factis eorum. Ideoque his non inseruntur nisi prophetiæ, quæ concernunt gesta illorum Judicum & Regum, & historiam eorum, quoniam necessariae sunt ad notitiam veritatis historice. Quare opus fuit, ut mediæ narrationi interponerentur. Quemadmodum etiam narrationes Prophetarum, quibus nulla inerant prophetiæ; & descriptiones miraculorum, quæ patrârunt tempore Regum, quoniam prophetiam haud includunt, itidem historiis inseruntur, propterea quod omnes ad hos pertineant. Ceteræ autem à prophetis dictæ prophetiæ, cum non æquè cohæreant cum historiis Regum, nec proinde necessariae, ut ibidem scriberentur, in illis non continentur, sed certis libellis sunt comprehensæ, sive longiores, sive breviores. Nam continent aut futurorum indicia
aut

aut res prophetas hos ipsos concernentes, aut eorundem prophetias, aut prophetias de gentibus. Ac proinde non constituunt speciem historię ullius, vel de Regibus, vel de factis ipsorum. Itā ergo constat de proprietate quatuor horum librorum, Josue, Judicum, Samuelis & Regum, & de tempore, quo compositi. Sed rem ac non tangit ABARBANEL. Sunt enim omninō in his libris, quos Propheticos Priores vocamus, tam Cantica quædam, ut Jud. V. 1. sqq. I. Sam. II. 1. II. Sam. XXII. tot. I. Reg. VIII. 15. 23. quā Prophetiæ de rebus futuris, ut II. Sam. VII. 8. I. Reg. XIV. 7. sqq. XXII. 17. II. Reg. XX. 16. sqq. XXII. 15. sqq. mediis historiis insertæ, quæ tenorem lectionis non impediunt; ut breves, & historiam tantū explicantes. Sunt etiam ita comparatæ Prophetiæ, ab Usq̄ usque ad Captivitatem Babylonicam, ut conditioni temporum ac statui Judæorum lucem addant, licet res futuras describant. Quare ergo vel Cantica ista cum Psalmis, vel Vaticinia cum Prophetis haud juncta sunt eodem volumine? subest ergo aliquid causæ in his, quæ ABARBANEL de materiæ diversitate in libris historicis ac propheticis suppeditat, sed quod præcipuum est, ab eodem tamen non attingitur.

Attigisse autem videntur Judæi, qui dixerunt Prophetas Posteriores, eosque à Prioribus ob causas commemoratas distinxerunt. Vivebant hi florente adhuc Ecclesiâ & Republicâ Judaicâ, ut suprâ innuebat Propheta Zacharias, dum eosdem sic appellabat. Sed illi, rebus Judæorum ad interitum vergentibus. Vbi scilicet rectè dici potuisset cum Johanne, è I. Ep. I. 15. *Filioli, novissimum tempus est.* Hi proinde pauciores. Illi longè majori numero à Deo excitati. De quo

quo fumendum etiam illud esse, arbitramur, quod est
 II. Par. XXXVI. 15. *Mittebat autem Deus patrum suo-
 rum ad illos, per manum nunciorum suorum, de nocte
 consurgens, & quotidie commonens: & quod parceret
 populo suo, & habitaculo suo.* In Hebræo est: **השכח**
 : **ושלוח** *Surgendo manè, & mittendo.* Ad quæ verba
 benè RASCHI: **ולא פעם אחת בשנה או בחדש אלא בכל**
 : **יום השכח ושלוח** *Non semel tantùm in anno, vel mense,
 sed quotidie inde à primo diluculo, & iterùm iterùmque
 mittendo.* Vid. sup. locum Jer. XLVIII. 4. sqq. Vtut in
 tantâ illorum multitudine nec scripserint omnes, neque
 illi, qui scripserunt, literis omnia, quæ dixerunt aut
 fecerunt, consignaverint. Inhærebant enim dictis suis,
 plus quàm ante, Prophetæ, Spiritu Divino agitati, cùm
 ob oscitantiam aut ignorantiam omnium ferè Judæo-
 rum turpissimam, tum ob malitiam incredibilem in-
 diesque crescentem, & hinc propter errores de Fide
 & Religione etiam in totâ hac gente, & in quâvis par-
 te doctrinæ invalescentes. Atque par ferè hujus ra-
 tio erat, quæ agonizantium, aut eorum, qui ad suppli-
 cia ducendi sunt, quos vix satis alloqui licet, ut fidem
 fervent, mentemque perturbatione liberatam, & benè
 compositam ad Deum efferant, quoniam hîc periculum
 definendi apparet gravissimum ac præsentissimum.
 Vnde & sermonum longitudo. Quid! quod etiam
 his temporibus ideò cæperit Esaias vaticinia sua sepa-
 rare ab historiis, ut paulò ante notavimus, quandoqui-
 dem res gestas Vsiæ eum descripsisse constat, & tamen
 vaticinia simul peculiari collegisse volumine, &
 ad posteros transmisisse; ut è Prov. XXV. 1. facile ar-
 guendum erit, si cum Judæis per viros Hiskix Esai-
 am præcipuè intelligamus, cum dicitur: *Hæ sunt pa-*
 D *rabo-*

56

57

4

47

4

44

rabola Salomonis, quas collegerunt viri Ezechie regis
 Jude; atque multò magis vaticinia, quàm parabolas,
 his mandasse monumentis peculiaribus, asseramus.
 Nam & hoc prætereundum non est, quod de Statu
 Judæorum sub Esaiâ & Prophetis coætaneis observavit
 BRENTIUS ad Cap. I. Esaiæ: *Vides, inquit, hæc tempora
 fuisse felicissima, sed interim, si externam rerum
 fortunam consideraveris, fuerunt infelicissima.
 Maxima felicitatis fuit, quod tot prophete eodem
 tempore concionati sint. Neque unquam clarius in
 populo Israelitico exposita est Lex Dei, nec unquam
 magis perspicuè de Messia & Regno ejus prædicatum est,
 quàm temporibus horum prophetarum. Factâ hinc
 notabili illâ applicatione: Sicut felicitas illorum
 temporum, quibus tot excellentes prophete inter
 Israelitas fuerunt, attulit secum extremam
 infelicitatem & internecionem totius gentis
 Israeliticæ, propterea quod abusi suâ felicitate,
 nec resipuerint ex verbo Domini: ita felicitas
 nostrorum temporum, quibus Evangelion Christi
 clarius prædicatur, quàm unquam in Germaniâ
 prædicatum est, pregnans est devastatione totius
 Germaniæ, quæ & certissime imminet, nisi iram
 Domini per pœnitentiam mitigemus.* Quibus
 gemina sunt illa VITRINGÆ, in Prolegom. ad Es.
 p. 5. *Esse hunc temporis articulum, quo ad hoc
 gravissimum munus vocatus est Esaias, & Prophetæ
 contemporanei, admodum notabilem in historiâ.
 Vtrumque enim regnum, Ephraimiticum & Judæorum,
 circa hanc tempestatem pervenerunt ad præcipitium
 suæ fortunæ. Ne ergo aut minorem conciperent,
 aut spem omnem de singulari Dei in Ecclesiam
 providentiâ, & salute propriâ abjicerent,
 subinde nova ediderunt de Christo ejusque
 Regno, de Remissione Peccatorum*
 &

& ulteriori Dei Gratiâ , ut & de Vocatione Gentium ad Ecclesiam , eaque multò , quàm ante , clariora oracula . Ita verò , quòd propius ad finem suum contende-
 debant Veteris Testamenti Leges vel Prophetæ , & initium Novi contingebant , eò majori zelo in his omnibus effervescebant Dei nuncii , eòque amplius illorum augebatur multitudo . Accedente verò temporum etiam limite , jure Postremi aut Ultimi vocari meruerunt , qui hoc intervallum ab Usâ usque ad reditum è Captivitate Babylonicâ absolverunt , & rectè Canonem Scripturæ Veteris ac Novi Fœderis combi-
 nârunt ; exempli causâ Malach. III. I. *Ecce ego mitto Angelum meum , & preparabit viam ante faciem meam .* Et Marc. I. I. *Initium Evangelii Jesu Christi , filii Dei , sicut scriptum est : Ecce ego mitto angelum meum , ante faciem tuam , qui preparabit viam tuam ante te .* Conf. Matth. XI. 10. De quo etiam Luc. I. 16. 17. *Et ipse , scilicet Johannes Baptista , Zachariæ filius , præcedet ante illum , in spiritu & virtute Eliæ , ut convertat corda patrum in filios .* Nempè è Malach. ult. v. ult. *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam . --- Et convertet cor patrum ad filios .* Conf. Matth. XI. 14. Qui propterea à Prophetis Prioribus non ætate solum , sed opere quoque suo & labore , & rerum Judaicarum ratione abierunt , & eandem ob causam jam ab Efrâ , ejusque sociis Prophetis , in hoc volumen , in quo hodiè leguntur , & è quo citati à Christo & Apostolis , & publicè in synagogis explicati , teste Luc. IV. 16. 17. & Act. XIII. 26. 27. rectè congeri potuerunt , utut non æquè ab his , quàm deinceps à Patribus aut Judæis sic nominati . Nec enim

BVXTORFFIO fidem hac in re adhibemus , qui in Tiberiad. Part. I. quæ Historica est , c. XI. appellatio-
 D 2 nem

nem *Posteriorum*, Hebr. אחרונים, ab ipsis Esrae temporibus derivare videtur. Quia testimonia haud addit, nosque etiam reperire non potuimus.

At causae tamen satis ex his apertae, quae praemissimus, & quae ex Patribus quoque nostris anneximus, ut inde lucem adhuc aliquam, ea, quae dicta sunt, sortiantur. TERTULLIANVS nominat ideo *Extremissimos Prophetarum*, qui agmen horum claudunt, *sapientibus Graecorum haud retroiores*, id est, inferiores, in Apolog. adv. Gentes cap. XIX. *Ceteri quoque*, inquit, *Propheta etsi Mosi postulant, extremissimi tamen eorum non retroiores deprehenduntur primoribus vestris sapientibus, & legis, & historicis.* Hec quibus ordinibus probari possint, non tam difficile est, nobis exponere, quam enorme, nec arduum, sed longum. Vbi in Paraphrasi Franc. ZEPHYRVS: *Sed & aliorum prophetarum novissimi, antiquiores antiquissimis vestris conditoribus computantur.* De qua comparatione Prophetarum cum Philosophis Graecorum vid. etiam AUGUSTINVS Libr. XVIII. de Civ. D. c. 37. Idem verò TERTULLIANVS, de Vaticiniis Prophetarum Evangelicis, adv. Jud. c. VIII. *Quoniam omnes Prophetae nunciabant de ipso, quod esset venturus, & rati haberet, igitur, quoniam adimpleta prophetia per adventum ejus, propterea signari visionem & prophetiam dicebat, quoniam ipse est signaculum omnium prophetarum, adimplens omnia, quae retrò de eo prophetae nunciaverant.* Post enim adventum Christi & passionem ejus jam nec visio nec prophetae est, qui Christum nunciet venturum. AUGUSTINVS de Aetate Ultimâ Prophetarum Libr. XVII. de Civ. Dei, c. 24. *Toto autem illo tempore, ex quo redierunt de Babylonia, post Malachiam, Haggaeum &*
Zacha-

Zachariam, qui tunc prophetaverunt, & Efram, non habuerunt prophetas usque ad Salvatoris adventum; nisi alium Zachariam, patrem Johannis & Elisabeth, Simeon, Johannem, Annam novissimum. --- Propter quod ipse Dominus ait, (Matth. XI. 14.) Lex & Prophetæ usque ad Johannem. --- Malachiam verò, Haggæum, Zachariam & Efram etiam Judæi reprobi in auctoritatem Canonicam receptos novissimos habent. Sunt enim & scripta eorum, sicut aliorum, qui in magna multitudine prophetarunt: perpauci ea scripserunt, quæ auctoritatem Canonis obtinerent. Sic quoque ibid. L. XVIII. c. 26. Et c. 45. inter alia id affertur, quod idè post instaurationem templi prophetas Judæi habere destiterint, & exinde usque ad nativitatem Christi continuis adversitatibus fuerint afflicti, ut probaretur, alterius templi ædificationem propheticis vocibus fuisse promissam. Cur Prophetarum nomen sibi vindicent præ ceteris, ipse c. 27. sub initium, nempè, quorum oracula habentur in libris, quique de vocatione Gentium multa cecinerunt, quando Romanorum regnum cæpit, Assyriorumque defecit. Et in fine: Cum propheta nunquam ferè defuissent populo Israël, ex quo ibi reges esse cæperunt, in usum tantummodò eorum fuere, non Gentium. Quando autem ea scriptura manifestius prophetica condebatur, quæ gentibus quandoque prodesset, tunc oportebat incipere, quando condebatur hæc civitas, quæ gentibus imperaret. Romam putat, & regnum Romanorum. Quod si jam quæras, quorsum spectent alii, qui neque Prioribus neque Posterioribus Prophetis ab omnibus æquè annumerantur, facilis responsio erit. Daniel enim citrà dubium ad posteriores accedit, cui nec Prophetæ nomen denegat Christus Matth. XXIV. 15. Ad quos

etiam pertinent Efras & Nehemias, utut Prophetico munere non æquè functi sint, ut Malachias & Zacharias. Hi enim è captivitate reduces, pluribus modis, id quod Prophetis docendum vel faciendum incumbabat, sæpiusque divino spiritu excitati, expediverunt. Illi partim populum regendo, partim sacerdotale officium obeundo occupati, Scripturas Sacras tantum digesserunt, & historias condiderunt; & sic, ut ad priores pertinebant Josua & Samuel, ita quoque posterioribus eadem ferè ratione accensendi, cum vixerint, ad finem vergente Ecclesiâ ac Republicâ Judaicâ. Idemque iudicium ferendum est de libro Esther, eodem temporum articulo & ab iisdem conscripto. Chronicorum par est ratio, quæ utriusque libri Regum ante captivitatem, utpote in quæ scripta Priores non solum, sed & Posteriores quidam Prophetæ operam contulerunt. Commodè verò dividi in duas has classes ob feriem historicam haud potuerunt, alioqui propter diversitatem temporis potissimum ex parte ad Priores, ex parte verò ad Posteriores referri debuissent. Jobus denique Propheta, cum Noacho & Daniele eodem loco ponitur, Ezech. XIV. 14. etsi inter hos ætate medius sit, & Prioribus potius, quàm Posterioribus propinquior.

Constat ita ex his muneris Prophetici antiquitas, quippe quod Legem Divinam per Mosen datam statim excipit, quâ nullum hodie scriptum extat vetustius. Constat necessitas, quæ fuit præsertim ad explicandum Legem, inde à promulgatione ipsius, & deinceps, usque ad ipsius Christi adventum. Constat & ejusdem arctâ cum Lege convenientia, quâ non obstante primâ Legis & Evangelii oppositi-
one,

one, tandem ad scopum unum nihilominus contendunt, quæ est salus hominum, per Christum solum obtinenda, Act. IV. 12. quamque Prophetæ potissimum, quicquid docerent, aut agere susciperent, vel pati, in animo suo habuerunt, quam & Paulus vult Gal. III. 24. cum *Legem*, testatur, *nostrum fuisse in Christo pædagogum, ut ex fide justificemur.* Constat quoque dignitas Prophetarum, quâ meruerunt Legi quasi poni à latere, & medium inter hanc atque scriptores Novi Fœderis Evangelicos obtinere locum, quo interposito divino arbitrio partem utramque priorem ac posteriorem totius sacri codicis combinarent. Constat tamen simul diversum Prophetarum genus, quo in officio præcipuè suo à se invicem isti abierunt, pro ut tempora & circumstantiæ veteris Ecclesiæ postularent. Scilicet ex eo Deut. XVIII. 22. *Excitabo Prophetam, cujus in ore verba mea ponam, ut loquatur, quæ illi mandaverò.* Cum quo convenit Exod. IV. 12. Jer. I. 9. Opera autem & varia fuisse, concludendum saltem ex illo Exod. XVII. 14. *Dixit autem Dominus ad Moysen: Scribe hoc ob monumentum in libro, & trade auribus Josue.* Vbi sermo de fugâ & clade Amalek. Quare & Historiam scribere jussus est Moyses, non solum Legem. Legem scripserat ipse Deus Ex. XXIV. 4. 12. Moyses universos sermones Domini scripsit v. 4. Item Historiam Fœderis, Ex. XXXIV. 27. Canticum, Deut. XXXI. 19. Conjugiique primi conditionem, juxtâ Matth. XIX. 5. 8. Constat, auctâ sub finem in infinitum hominum malitiâ, auctos unâ fuisse Prophetas, & donis etiam uberioribus instructos, ne suâ gratiâ Deus videretur deseruisse mortales, aut quanta etiam horum ergâ ipsum foret inimicitia & animi impietas, à se

se abjecisse. Egregium hoc in summis Ecclesiæ calamitatibus, & in dierum extremitate, quâ ad incitas videtur redacta, ejusdem solatium est, quod ut propinquitas Primi Christi in carnem Adventus tot Angelos ante se mittendos requirit, Mal. III. 1. IV. 5. ita nec instans Ultimus illius ad Judicium Adventus Angelis ejusmodi nos præparantibus destituatur. Tandem etiam constat cura Dei in conservandis sacris literis singularis, utpote cum eadem ubique illarum, quæ quondam fuit, nec quicquam ullâ in re mutata facies appareat, idem ordo, eadem partes, libri totidem, autoresque horum, nomina, quid ! verba quoque eadem & eadem literæ; id quod scriptis æquè obtigisse profanis, cujuscunque etiam illi generis sint, nunquam compertum fuit. Plura, quæ huic dissertationi annecti, ejusque usui inservire fortè potuissent, jam prætereunda. Crevit enim sub manibus ea, argumentorum præcipuorum deductione, & copiâ rerum illarum, quæ scopo inserviunt.

Eum solùm in finem REVERENDISSIME ET ILLUSTRISSE COMES, ista præmissi, ut, quod coràm feci pro officii mei ratione, idem quoque literis hisce præstarem, atque simul ipsum abitum ex hæc Academia, & illustre illud propositum Tuum, quod ante implere ibidem voluisti, submissâ tandem gratulatione prosequerer. Tandem, inquam, quia jam dudum est, quod hoc mihi sumseram, ut aliquid publicè extaret, quod
illam

illam animi mei exaggeraret affectionem,
 quâ Te, ILLVSTRISSE COMES,
 hoc in loco toties adeundi mihi copia fuit,
 totiesque hoc tempus blandis semper & ami-
 cis Tuis non minus, quàm doctissimis collo-
 quiis terendi. Sed jam demùm commoda se
 mihi exhibet occasio, ubi inter Principes, Co-
 mitesque, qui à conditâ Academiâ nomina
 sua Serenissima atque Illustrissima inter Cives
 nostrates professi sunt, tanquam sidus splen-
 didissimum emicas; imò & Insignia Docto-
 ris ab ipso Serenissimo Principe Nostro, LV-
 DOVICO RVDOLPHO, Academiae Dire-
 ctore Magnificentissimo, suscipis, præviis co-
 ràm toto Ordine Juridico colloquiis, ac Di-
 sputatione pereruditâ è Cathedrâ supremâ tan-
 tâ promptitudine, tantâque omnium admira-
 tione, defensâ, ut nesciam, an unquam simi-
 lem Tibi viderit vel videre potuerit Julia no-
 stra Candidatum.

Permittas jam, quæso, ut recenscam ideò
 omnes Principum & Comitum sanguine
 prognatos, quos Alba nostra præferunt. An-
 no MDLXXVI. die XVI. Octobr. apparent
 ipse HENRICVS JVLIVS, Administrator
 Halberstadiensis, Dux Brunsvic. & Luneburg.

E

Pri-

Primus Academiae Juliae Rector; PHILIPPVS SIGISMVNDVS, Dux Brunsvic. & Luneburgensis; ERNESTVS, Comes ac Dominus in Mansfeldt; FRIDERICVS CHRISTOPHORVS, Comes ac Dominus in Mansfeldt. Anno MDLXXVIII. d. 10. Sept. OTTO HENRICVS, OTTONIS Filius, Dux Brunsvicensis & Luneburgensis. Anno MDLXXXIV. d. 18. Octobr. ERNESTVS, Comes de Schauenburg. Anno MDLXXXVI. d. VIII. Martii, ERNESTVS, Comes ac Dominus in Reinstein & Blankenburg; MARTINVS, Comes ac Dominus in Reinstein & Blankenburg. Anno MDLXXXVII. d. 4. April. WILHELMVS, Dux Brunsvicensis & Luneburgensis; CHRISTOPHORVS, Dux Brunsvicensis & Luneburgensis; OTTO, Dux Brunsvicensis & Luneburgensis; JOHANNES, Dux Brunsvicensis ac Luneburgensis; FRIDERICVS, Dux Brunsvicensis & Luneburgensis. Anno MDXC. d. 30. Jun. JOHANNES GÜNTHERVS, der Vier Graffen des Reichs, Graff zu Schwarzburg, Herr zu Arnstadt, Sondershausen und Leutenberg; CHRISTIANVS GÜNTHERVS, der Vier Graffen des Reichs, Graff zu Schwarzburg, Herr zu Arnstadt, Sondershausen und Leuten-

tenberg. Ann. MDXC. d. 12. Oct. VDALRICVS, Hæres Norwagiæ, Dux Slesvici, Holfatiæ, Stormariæ, Dithmarsia, Comes in Oldenburg & Delmenhorst. Anno MDXCI. d. 24. Dec. BRVNO, Comes in Mansfeldt, Nobilis Dominus in Heldrungen. Ann. MDXCIV. d. 7. Decembr. JOACHIMVS FRIDERICVS, Comes in Mansfeld, Nobilis Dominus in Heldrungen. Ann. MDC. d. 2. April. FRANCISCVS JVLIVS, Dux Saxonæ, Angriæ & Westphaliæ; JVLIVS HENRICVS, Dux Saxonæ, Angriæ & Westphaliæ; ERNESTVS LVDOVICVS, Dux Saxonæ, Angriæ & Westphaliæ. Ann. MDCIII. d. 3. Octobr. FRIDERICVS VLRICVS, Dux Brunsvicensis & Luneburgensis; Ann. MDCIV. d. 4. Octobr. HENRICVS JVLIVS, Dux Brunsvicensis & Luneburgensis. CHRISTIANVS, Dux Brunsv. & Luneburgensis. Ann. MDCV. d. 21. Jul. JOHANNES GEORGIVS, Comes ac Dominus in Mansfeldt, Nobilis Dominus in Heldrungen. Ann. MDCV. d. 14. Octobr. HERMANNVS OTTO, Comes de Lymborch & Bronckhorst, Dominus in Styrum, Wiss, & Borckeloe; GEORGIVS ERNESTVS, Comes de Lymb. & Bronckhorst, Do-

minus in Styrumb, Wiss, & Borckeloe. Anno MDCXII. d. 13. August. RVDOLPHVS, Dux Brunsvicensis & Luneburgensis. Ann. MDCXV. d. 22. Maj. HENRICVS CAROLVS, postulatus Episcopus Halberstad. Dux Brunsv. & Luneb. qui paulò post d. II. Jun. eod. anno obiit. Ann. MDCLXXVII. d. 12. Jun. THEODORVS, S. R. I. Comes à Sintzendorff. Ann. MDCXCII. d. 23. Maj. ERNESTVS AVGVSTVS, Comes de Platen. Ann. MDCXCIV. d. 5. Jul. BVRCHARDVS PHILIPPVS, Comes de Freytag. Ann. MDCCX. d. 15. Octobr. FRIDERICVS MAXIMILIANVS, Comes de Callenberg; AVGVSTVS HENRICVS GOTTLOB, Comes de Callenberg; ALEXANDER JOHANNES, Comes de Callenberg. Ann. MDCCXIII. d. 10. Maji FRANCISCVS GREGORIVS, S. R. I. Comes de Giannini; LEOPOLDVS JOSEPHVS, S. R. I. Comes de Giannini. Ann. MDCCXVIII. d. II. Decembr. FRIDERICVS ERNESTVS, Marchio Brandenburgo-Culmbacensis; FRIDERICVS CHRISTIANVS, Marchio Brandenburgo-Culmbacensis; Ann. MDCCXXV. d. 5. Nov. CAROLVS AVGVSTVS, Comes à Kielmans-Egge. Ann. MDCXXXII. d. 31. Mar-

Martii. FRANCISCVS LVDOVICVS, S. R. I.
Comes ab Oettingen. Eod. Ann. MDCXXXII.
mens. Septembr. SOLTANGIN ACHMET,
Princeps Magatensis, ex Ac. Rhintelensi com-
mendatus. Ann. MDCCXXXII. m. Septembr.
LVDOVICVS, Comes de Ranzow.

Qui præter hos Academiam hanc suâ
condecoraverint præsentia, & gratiæ in eam
singularis monumenta ediderint, inter quos
superiori anno piè obiit, qui Ann. MDC.
LXXXV. hic commoratus est, & sæpè con-
ventibus publicis interfuit, Juliæ nostræ ad fi-
nem usque vitæ favens, HENRICVS XIII.
Sen. Lin. Neuß S. R. I. Comes, ac Dominus
de Plauen, Greis, Schleis, Löbenstein etc.
meritisque quamplurimis ac eruditione singu-
lari eminens, jam percensere, nihil attinet. Tibi,
COMES ILLVSTRISIME, adeò placuit
hæc sedes Musarum, ut cum per duos annos
in eâ substiteris, & summâ cum voluptate,
quævis literarum studia, additis frequentissi-
mis cum omnibus ejusdem doctoribus com-
merciis, excolueris, ipsa quoque seu testimo-
nia aliena, seu specimina propria typis pro-
dita, quantum inde profecisses, quantum-
que in his polleas, tanquam decora, nullâ

unquam oblivione delenda, ibidem extare non reueris.

Non utriusque solùm Juris, non Historiæ Sacræ æquè ac Civilis, & imprimis Literariæ, non humaniorum aut elegantiorum quarumvis literarum, & quod præter hæc capit vastum ingenium Tuum, capit autem omnia mirâ quâdam facilitate, & eodem veluti momento, quæcunque eidem offeruntur, sed &, quod vix unquam crediderit orbis eruditus, in fontium sacrorum lectione, & Orientali Philologiâ, prout aut ipsi Textui Authentico, aut Versionibus hujus antiquioribus, ut est Chaldaica, Syriaca, Arabica & Æthiopica, inservit, juxtâ cum peritissimis certare, ipsos sacrarum rerum magistros latere non potest. Putaveram ipse, cum Tecum, REVERENDISSIME DOMINE, sub adventum Tuum primùm mihi differendi copia daretur, leviter illa solùm abs Te delibata esse, quæ ipsa rarius aut nunquam à personis ejus conditionis, quâ Tu constitutus es, attinguntur, sed tantam statim in Te deprehendi doctrinæ copiam, tantam de omnibus ex ipsis illorum fundamentis vim judicandi, denique tantam in hæc pronitatem

tatem & industriam, quantam mihi vix unquam persuadere potuiffem.

Incidit & interdum de rebus sanctioribus sermo, in quibus num modestum Te potius & prudentem, num solidum, & ab omni partium studio & sterili litigatione alienum dicerem, (nec enim tam excelsæ forti, quæ Tua est, adulatione aut jactantiâ opus, nec garritiones imperitorum conveniunt,) vix unquam discernere licuit. Quæ utrobique conservent Ecclesiam, & quæ corrumpant eam, facile perspicis, & gratâ quâdam severitate semper indicare soles. Qualem in Te peritiam præsertim produxit amor Sacrarum Literarum, quo nullum acrius in Te studium, nulli conatus fervidiores, nullumque hinc majus pretium vel carius esse, cognovi, quàm id, quod in illis exactè cognoscendis poneres. Benè igitur fuerit isti Ecclesiæ & hujus antistibus, quibus aliquandò præeris talibus subsidiis instructus, quos exemplo pariter ac legibus ad similia laborum genera allicies. Vbi, si quid video, longè major, quàm ante, spes apparebit, triste illud dissidium, quod sævientis instar incendii inter Catholicos & Protestantos per ducentos annos & ultra, non

ex-

exarsit solùm, sed & multas Ecclesias funditus destruxit, si non uno eodemque impetu, saltem temporis beneficio extinguendi, & obices præcipuos quotquot concordiaæ mutuæ obstiterunt, jubente Deo, removendi. Nôsti fatis, DOMINE, etiam aliis non monentibus, causas barbariei apud veteres, nôsti otium in quo obtorpuerunt, nôsti luxum hinc proveniente, nôsti etiam ipse, nec dissimulas inutilem pertinaciam & defectum iudicii insignem, quo, cum ad hoc scientiaæ genus perventum est, laborare solent boni doctores scholastici, ut ridiculos sæpè peperrint errores vel foverint; & à quo nec hodie nos utrobique planè liberos esse, in vulgus constat: adeò ut quamplurima inde vitia emendari possent, nisi ex istâ multorum ignorantia, qui sibi sapiunt solis, imperitioribus verò imponunt, & peritos suggillant, longè plures præconceptæ fuissent in damnum Ecclesia, & in lucem prodiissent opiniones. Vnde, quod fieri consuevit, quæ perperam diuque in scholis & Academiis edocta, in turbas tandem exière, ut armis etiam nec sine cladibus funestis vindicanda fuerint.

Huc

Huc sæpe redierunt discursus nostri, finitis scilicet apud alios doctores negotiis civilibus, & quæ ad regendam rempublicam facerent. Nam ad utramque tam Ecclesiasticam, quam Civilem gubernandam Te felicissimis auspiciis & ipsa nativitas alta, & avorum virtus evexit, de quibus aliâ gratulatione jam ad Te scriptum esse, constat, & Insula Tua, quam non sine nutu divino elegisti, licet Marte æquè ut Arte, si fortitudinem animi & corporis habitum sequi velles, præ ceteris effulgere, Tibi facile foret, & maxime studia literarum, quæ conversationibus politis & itineribus quotidie auges, & in quibus totum Te esse, & incredibiles planè fecisse profectus, sciunt, qui Te noverunt. Imò ducent hæc omnia cursu brevissimo ad ipsum culmen & purpuram, quâ Te vix dignior alter erit, nec quisquam reperietur, qui majori cum autoritate, inquam, an successu rerum sustinebit.

Cum ergò nunc Juliam nostram ante omnes alias eò usque extollas, ut & Illustrissimi Nominis Tui memoriam inter Doctores ab eadem creatos relinquere haud grave-

F ris,


ris, simili scilicet exemplo, quo ab Oxoniensi Academia sibi oblatos hos honores summâ cum humanitate hoc ipso anno, die XII. Martii, in se suscepit Serenissimus Princeps Arausionensis, GVILIELMVS, Potentissimi Magnæ Britannæ Regis, nostrique hodie Directoris Magnificentissimi, gener exoptatus, cuius festum gamicum haud pridem unâ cum Musis nostris ipse celebrâsti; quid superest, quàm ut communi consensu laudemus seculi nostri felicitatem, & votis ardentibus prosequamur, quod præcedentibus nec inferius, nec Doctoribus ejusmodi sterilius sit, qui num ab Academiis accipiant honorum titulos, num eosdem ipsis simul reddant, incertum videtur.

Faxit Deus T. O. M. ut felicissimè Tibi cedant hæc consilia Tua, quæ in ipsius honorem, & ad promovendam veritatem summâ cum sinceritate cepisti. Faxit, Ecclesiæ sint salutaria & Imperio proficua. Faxit, universæ Principum Comitumque OETTINGENSIVM Domui, & ad quos præterea cognatione accedis, Vtriusque Statores supremos, exoptatissima sint juxtâ atque honorificentissima.


sima. Benè Tibi domi sit, benè sit foris,
 quocunque terrarum Te fors vehat aut rerum
 administratio. Benè sit illis, quos à latere ha-
 bebis amicos, & qui Te vel pares audient, vel
 parebunt subjecti. Benè quoque illis, quo-
 rum huc primùm venisti instinctu, quorum-
 que, cum in has oras propensi semper fue-
 rint, etiam nomina vicissim apud nos lau-
 datissimæ memoriæ adscripta sunt. Floreas
 eodem ubique robore ac valetudine conti-
 nuâ, quâ Te beavit divina bonitas, & quâ ad
 subeundos gravissimos labores præ pluribus
 aliis idoneus es. Floreas ingenio, ac divinis
 animi dotibus, à quibus quicquid modò ne-
 gotiorum subieris, incrementum suum acci-
 piant ac fructum salubrem. Floreas opibus
 ac potestate, dignitati Tuæ congruâ, quâ
 tantum efficias, quantum alii, inferiori loco
 nati, aut paupertate impediti, nisi peculiari
 Dei gratiâ adjuti, haud possunt. Floreas a-
 micis ubique faventibus, quibus hostium
 impetus retundas, qui nec Tibi ob insignem
 eminentiam deerunt, ausuque felici subigas.
 Floreas denique ipsâ Tuâ eruditione ac virtu-
 te, quibus, si quid reliquis etiam ad felicita-

tem adminiculis objiciatur impedimentorum,
 sub auspiciis divinis certissimè avertere, &
 nihilominus ad summa quæque eniti poteris.
 Floreas omnibus, quæ Tibi meritò spondes
 & optas, ut FRANCISCVM LVDO-
 VICVM, Comitem Oettingensem, in A-
 cademiâ Juliâ studiis operam dedisse, dum
 steterit orbis, laudent posteri & admi-
 rentur.









ua nec peccatores tolerari, nec reprobis
quidem Diaboli vel ad momentum sub-
um omnis viarum Dei ratio sive in exer-
dia sive in demonstranda justitia in di-
arum divinarum foedere jam ab aeterno
decreta fuerit.

XLIX.

eritur hic; Cur Filius Dei in specie Novi
r dicatur, cum tamen sponsor jam fue-
Pacis Consilio, & à Veteribus jam tan-
nitus fuerit? Huic quaestioni occasio-
cinianorum Error, qui qualemcunque
ti virtutem ad sola Novi Test tempora
locus Hebr. 7. v. 22. ubi Christus voca-
rñus εγγυος *melioris testamenti sponsor*, &
br. 8. v. 6. κρείττονος διαθήκης μεσίτης *me-*
diator: at verò per κρείττονα διαθήκης
m hinc intelligi nullum est dubium, quod
post Christi demum *τελειωσω* exequen-
m Nos respondemus, quòd *melioris Te-*
ignatè hinc dicatur Christus, non quòd
e sponsor fuerit, non quòd non agni-
t tanquam *Sponsor Testamenti aeterni* in
tia consilio: sed quia eo tempore &
niversum Dei propositum justificavit
quoque confirmavit & justificavit eam
partem, quæ signatè quoque *Novi Testa-*
signatur. Ita γεγονη factus est Filius Spon-
i, qui jam sponsor erat omnis Testa-
virtute aeternæ sponsionis necesse erat, ut
Sponsor Novi Testamenti: Quando Je-
st, non ideò ab aeterno non fuit. *Qui Sa-*

G 2

cerdos

56.